



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Benedictus Redivivus Hoc est: Benedictinij Ordinis  
Vetustißimi Amplißimique, Nostra, ac supera ætate  
Jmmarcescibilis Vigor, ac Viror**

**Bucelin, Gabriel**

**[Veldkirch], Anno Christi. M.DC.LXXIX.**

Iesu Christi Annus. M.D.LIV. Sancti Patris Benedicti. M.LXXIV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38498**

*Florentius  
de Horst  
succedit.*

dignissimus tanto honore Florentius de Horst, sed qui sese indignissimum omnium reputans, cum deprecando & obnitendo nihil efficeret apud sui amantissimos, ad DEUM conversus, summaque precum instantia ab onere corporis æque absolvi atque ab honore Præsulatus, exauditus pro sua reverentia 28. ab Electione die feliciter extinctus est. Excessit & alter Christi egregius pugil, hoc ipso etiam anno Petrus à Remagen Lacensis prope Andernacum Abbas, ob egregia animi talenta, & singularem eruditionem Unionis Bursfeldensis Præsides designatus, & cum plurimum valeret auctoritate apud Joannem Ludovicum ab Hagen Archiepiscopum & Electorem Trevirensē, Archiepiscopalis Senatus Consiliarius electus, eximia Pietatis Præsul, & rei cūm suæ, tum publicæ dexterrimæ administratæ gloria celebratus. Decessit ultima Januarij hoc anno, magnumque sui, cum apud suos, tum apud Archiepiscopum & Canonicos desiderium reliquit. Nec fatis Coelibus tantos uno anno militanti Ecclesiæ pugiles in sola Germania eripuisse, Triumphanti inferuisse, addere tertium debuit Petrum Teutonum Maricolensem in finibus Hannoniæ, digniorem omnino cælis, quam terris Abbatem, etsi his valde necessarium, & utilem. Fuit hic patientiæ mirificæ exemplum inturbatissima sui regiminis tempora, omnes illatas ab hæreticis & milite lærè grassante injurias & damna in victissimo animi robore superans, DEUMQUE in omnibus adversitatibus laudans & glorificans, erga quem fuit mirificè insigni affectus pietate, disciplinæ præterea Monachicæ Promotor sedulus; tantus omnino actalis, ut non sine Opione Sanctitatis ex hac Vita migraret.

*Obijt non  
sine opinio-  
ne Sancti-  
tatis.*

*Ex monim. prædictorum Cenobiorum.*  
In Italia celebre habetur nomen Flavii Ferrariensis, Monachi Casinatis lectissimi, Viri doctissimi, Græcâ & Latinâ Linguâ excellenter instructi, magnâ apud Julium tertium Pontificem maximum, auctoritate & gratiâ, à quo tandem Ravennensis creatus Episcopus, munus sibi injunctum laudabiliter gessit, & Ecclesiæ suæ laudabiliter præstitit. *Ex monim. Casin. & Arn. Duac. Bland. Rem.*

*Flavius  
Ferrar.  
Mon. Ca-  
sinas.*

IESU CHRISTI ANNUS. M.D.LIV.  
Sancti Patris Benedicti M. LXXIV.

Terum de lectissimâ Patrum Societatis Jesu Religione præclarè meretur sanctæ memoriæ Ludovicus de Estrada noster: cum enim novellus Christi grex, in Hispanijs non minus quàm Gallijs magnas omnino pateretur difficultates & adversitates, fama que passim vulgasset, quanta auctoritate non solum Sorbonicum in Gallia Collegium, & Facultas Theologica, Universitatis Parisiensis, huic novo Instituto, concessisque eidem à Rom. Pontificibus, Paulo III. & Julio III. Gratijs & Privilegijs obniteretur; sed & quot, quântosque Compluti, Salamantica & alijs etiam Hispaniæ locis haberet adversarios; Cæsar-Augustani quoque animo ab ipsdem averſi, nihil non ipsis amoliendis & evertendis tentaverunt, donec hoc ipso anno eodem superveniens Ludovicus noster, Patrocinium eorumdem fusciperet, & quâ summâ erat, ob insignem sanctitatis, & exquisitissimæ eruditionis apud omnes opinionem, auctoritate, eosdem optimos Patres, cum privatim adversariorum potiores aliter informando, tum publicè sanctitatem & utilitatem novi Ordinis describendo & commendando, toti Urbi reconciliaret, gratosque & acceptos redderet. De hoc ipso Hortensis Canobij monumenta sic meminerunt: *Ludovicus de Estrada Monachus Hortæ, & verbi DEI egregius Concionator, Carolo Principi, Philippi II. filio, hæredique, atque ejusdem Philippi Regis Fratri Joanni Austriaco charus vel inier paucos; sancti Ignatiij Loyolæ fausta germina (Societatem Jesu) tunc recens orta, atque Cæsar-Augusta, dum propagari in Urbe sancta cupiunt, repulsam passa, potenter restituit, atque humiliter & gratanter suscipi facit, concione ad populum, & primores Urbis habitâ, que facile emollevit animos omnium &c.*

*Ludovicus  
de Estrada.*

*Societatis  
Jesu pro-  
pugnator  
acerrimus.*

*Elogium  
ejusdem.*

Et sanè non Ludovicus hic solum illustravit hoc tempore Hispanias, sed admirandus prorsus, virorum genere, doctrina & sanctitate illustrium in eodem Regno numerus emicuit, solis Canobijs Montferratenſi, Vallisole-tano, Naiarenſi, S. Æmiliani, tantopere relucetibus, ut redivivus in omnibus & singulis eorumdem Ascetis se pro-

*Sanctitas  
Religioſo-  
rum Hi-  
span.*



proderet, & universæ Hispaniæ commendaret. Et mirabitur sanè qui vel solos Abbatum Hispanorum syllabos perlegeret, tot simul semelque Canoniorum diverforum Antistites, summâ doctrinæ non minus, quàm sanctitatis opinione celebratos, quos omnes, Exercitatorium sanctæ memoriæ Garziæ Cisterij Opus, Divini Spiritus dictatis plenissimum [uti Divum Ignatium tam potenter excitaverat] ipsos quoque & vel maximè recens exemplum tam sancti Præsidis sui, ad conatus similes accenderat. In Anglia Germanique non pauci è nostris, non è cathedris solum acriter contra Hæreticos rem agunt, sed & scriptis doctissimis eorum errores profligant, sed & Italia hoc anno, ambidextrum contra eisdem pugilem meruit, Jacobum de Leccio Congregationis nostræ Coelestinae Ascetam Religiosissimum, qui Paulo IV. Rom. Pontifici, ob egregia animi talenta charissimus extitit, atque hoc ipso tempore impia Hæreseos dogmata, insigni libro elisit atque elusit. Sed & præter hunc, alia quoque magni ingenij monumenta posteritati reliquit, eaque inter: *Librum unum: De consolatione Crucis. Librum nem de Cærimonis Ordinis, itemque unum de Vita S. Cælestini V. sue Congregationis institutoris.*

Sed quid mirum, sitantorum Ducum exemplo, excitati in sacra bella milites, rem fortiter agere aggressi, viros se præbuere & probavere; certè non minora, magis autem miranda, quæ tenerrimæ hoc ipso tempore Virgines, nec minore quam viri animo, in carnem, inque seipsas, plus quàm Hæroica resolutione suscepere, & quidem felicissimè confecere, cujusmodi Amazones, perditissimo hoc ævo, Gallia protulit plurimos, jucundissimo cœlitum spectaculo, cum mundo, Cæcodamone, Carne ita generosè congressas, ut seriò rem agi nemo non adverteret, & totum sanè Regnum & Rex ipse Christianissimus, raperentur in admirationem. Et antesignanis jam plurimis, suum valorem probantibus & sacram in hostes aciem ducentibus, proque re bene gestâ ad triumphos Triumphantis Ecclesiæ evocatis atque admisis, Renata. Lotharingiæ Ducissa, Regij generis Virgo, quantò delicatior cæteris visa, tantò robustior

animo, Regio sanè spiritu talia Virtutis specimina edidit, ut nemo sui contemptu emereret altiùs, nemo proprij corporis fatigatione, maceratione, castigatione generosius pugnaret. Ipsa prima in acie chori, in jejunijs, in Vigilijs, in omni quod carnem domat, quodque inferos fugat & cruciat, ut nullum tam promptum, in arma & pugnas, etsi generosissimum belli Ducem videas, ut morte tristis omnibus esset, tantæ Principi non obsecundare ad omnia, quacunque duceret tamque animosè præiret. Erat autem, qualem esse decebat Archistrategam tantam, eâ discretione, ut non tam rigidam moderatricem ageret, quàm solidâ pietate matrem, incredibili diligentia & sollicitudine omnibus prospiciendo, eâ prudentia, inquit Tribout, *humilitatis, charitatis, mansuetudinis, observantia laude temperabat omnia, ut sicut omnibus, ingenij sagacitate, acumine, firmitate, præstantia eminebat, via regimine animatum, præclarissimorum morum indole, & integerrima vise omnimodâ luce, immenso intervallo, superaret omnes &c.* Et revera, inter applausus sæculi vivens, nihil tamen plausum sentiens, saltem fastidians, DEI unius delectata servitio, inter omni modam rerum gerendarum curam, frequentissima cum Rege, Regina, Prælati, Proceribus, Affinibus & Consanguineis confessus & colloquia, sibi constans semper, nullam in partem flexa, DEO uni intendit; fuitque ille magnæ mentis Divinorum sensus ac Religio, ut tot negotiorum moles, à studio pietatis, præsentia in Choro, sibi que subditarum perfecto regimine, nihil detraherent &c. *Ex R. P. Amandi Tribout, & Relig. Congr. S. Mauri communicatio.*

JESU CHRISTI ANNUS. M. D. LV.  
Sancti Patris Benedicti. M. LXXV.

MERICISSIMUS de orbe & posteritate universâ ad felicissimam immortalitatem felicissimus hoc anno transit sanctæ memoriæ Isidorus Clarius noster Monachus S. Joannis Evangelistæ Parmensis, & Abbas meritissimus Sanctæ MARIE DEI Genitricis Cefenæ Congregationis Casinensis singulis, si per compendium licuisset, annis celebrandus. Is pro eximia vitæ Sanctimonia ad Fulginatis Pontificatus

Nisi pro  
Cathedris  
generosè  
agunt con-  
tra Aca-  
tholicos.

Amazones  
Benedicti-  
na.

Renata  
Lotharingi-  
æ Ducis-  
sa pia An-  
tisignana.

Ejus sæculi  
comite impia

B. Isidorus  
Clarius  
Episc. Ful-  
ginas.